

Nicolaus Rhodomann

**De Admiranda Verbi Incarnatione ipsis Angelis stupendo, omniumq[ue]  
mortalium captum, rationem & intellectum excedente & superante mysterio  
Elegia. Die Natali Incoante Annum A Verbi Incarnatione millesimum  
sexcentesium tertium**

Rostochii: Myliander, 1603

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728224941>

Druck Freier  Zugang



Nicolaus Rhodomanus  
De admiranda verbi incarnatione  
elegia.

Rostochii 1603.

Cq.....

3533

dis 16/12/54 29.02.11

Gg-3533

40

23

DE ADMIRAN-  
DA VERBI INCARNA-  
tione ipsis Angelis stupendo,  
omniumq; mortalium captum, rationem  
& intellectum excedente & superan-  
te mysterio  
*ELEGIA.*

DIE NATALI, IN-  
COANTE ANNUM A VERBI  
Incarnatione millesimum sexcentesi-  
mum tertium, pietatis religiosæ, meditationisq;  
devotæ excitandæ & Poetici studij  
exercendi ergo proposita

M. NICOLAO RHODOMANO P. L.

*Psalm. 118.*

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes,  
hic factus est in caput anguli. A DOMINO  
factum est istud, & est MIRABILE in oculis no-  
stris. Hæc est dies quam fecit Dominus, exulte-  
mus & lætemur in ea. O DOMINE salvum me  
fac: ô DOMINE bene prosperare: Benedictus  
qui venit in nomine DOMINI.

ROSTOCHII Typis Myliandrinis. Anno 1603

*Nobilissimis, antiqua virtute profapia emi-  
nentissimis, experientia & eruditione  
ornatissimis viris,*

DN. JOHANNI A Plessen / ILLU-  
STRISSIMI PRINCIPIS ET DO-  
MINI, DN. ULDARICI, Cassubiorum & Van-  
dalorum Ducis, Principis Rugiæ, Comitis Caicorum, Domini in  
Lawenburg & Butow &c. Illustris Acad. Rostochiensis  
pro tempore Rectoris Magnificentissimi: mo-  
rum Magistro fidelissimo.

E T

DN. VICTORI Steding /  
ejusdem Principis Celsiss. aulico  
Nobili præstantissimo.

**N**obilitate viri, virtute & stemmate clari,  
Ornati magnis dotibus ingenij.  
Accipite hunc, CHRISTI, natum de virginis alvo  
Natalem cecinit quem mea Musa pium.  
Fata precor toto vite felicia corde,  
Auspiciumq; anni gratius opto novi.



V. V.

N. N.

Additiss.

Autor.



CHRISTE DEVS, terra, celsi  
fabricator olympi  
Aeterni verbum, lux & imago  
patris.

Qui tener à tenerâ voluisti virgine nasci  
Infans, & nostra vivere carne caro.  
Quid te de patriâ descendere sede coëgit?  
Cur terra, humano corpore fulcra subis?  
Cur humeris mala tâta hominum sic suscipis ultro?  
Nasceris & vilis corpore pauper inops?  
Scilicet ut saluum faceres genus omne piorum,  
Ne fieret Stygio præda voranda lupo.  
Tanta nè cœlestis fuit ab dilectio patris,  
Et Nati in natos perditæ Adame tuos?  
Tu nisi, CHRISTE DEUS, cœli demissus ab axe  
Esset, & vero numine factus homo.  
Tu nisi mortalis sumpsisset corporis artus,  
Nos faciens partem corporis esse tui,  
Tota hominum series, prima & postrema propago  
O Mors imperijs esset agenda tuis.

A 2

A te

*A te vera salus, à te nunc vita perennis  
Parta datur, cunctis vita potenda pijs.  
Te sacra sanctorum prädixit concio vatum,  
Sperarunt sancti, te, pia turba, patres,  
Hei mihi quam felix, æternum quamq̃, beatus,  
Credere qui didicit IESV LE parve tibi.  
Tu sic postremo sub mundum nasceris ævo,  
Mitius AVGVSTO scepra regente Duce.  
Cunæ deficiunt molles, tibi deficit omnis  
Ornatus, scæno tu puer alme jaces!  
Non adstant fida, genetrix tibi casta, ministra,  
Non est qua lectum sterneret ulla tuum!  
Non est ulla tuum procurans scæmina partum!  
Non est qua fidas porrigat ulla manus!  
Veste jacet strata genetrix pariendo pudica,  
Stramine pro plumis utitur ecce suis!  
Involvit pannis IESV M, panisq̃, volutum  
Præsepi imponit. GLORIA CHRISTI tibi!  
Ira Dei cessat, pater est nunc qui fuit hostis,  
Non vult plus hominum criminis esse memor!  
Gaudia nunc animis pueriq̃, senesq̃, puella,  
Concipite, exultant sydera, terra polus.  
CHRISTUS adest noster sanguis, caro nostra, suoq̃,  
Corporis & nostri, corpore, membra gerit.  
Frater*

23

Frater & est noster, nobis junctissimus ille est,  
Iunctior haud calis angelus ullus adest.  
Par homini sibi nostra capit delicta caduco,  
Et fert inferni crimina digna lacu.  
Amisam ut generi reperet reddatq; salutem  
Humano, id regno restituatq; suo.  
Ut ferat aeterna nascendo gaudia vita  
Gaudia quae nulla sunt peritura die.  
Gaudia quae longe superant ditissima regna  
Regum, quae vincunt totius orbis opes.  
Hunc cunis positum n. ortales discite, CHRISTUM,  
Thesuros caeli vertice mille refert.  
Illius ad praesepe pias effundite grates  
Votaq; ferte pia multiplicata fide.  
Cur non agnoscis missum tu pectore Regem,  
BETHLEM, praedictum saepius ante tibi?  
Cur SALVATOREM temnis Dominumq; salutis  
Qui te fit propter virgine natus homo?  
Qui te perpetuo populum sibi foedere junxit,  
Esse ut regni portio grata sui.  
Heu te poena grauis merito sequeretur, & Igne  
Te DEVS ad stygias praecipitaret aquas.  
Antiquo veluti SODOMA gens atq; GOMORRA  
Tempore sulphureo perdita mersa lacu est.

A 3

Sed

*Sed quid Christe Deus? cum te gens propria spernat  
Ebræa adventum negligat atq; tuum:  
Angelus ecce venit cæli patre missus ab axe,  
Nunciat & cunas, lata ferendo, tuas.  
Pastores noctu funguntur munere dextrè  
Invigilantq; ovibus lata per arva suis.  
Hos circumfulsit lux splendida, cælitus orta,  
Lux referens summi facta stupenda DEI.  
Angelus & tremulam mulcet solamine turbam,  
Hac dulci latos, voce canendo sonos.  
Corde levi tristem, vanumq; repelle timorem  
O grex, & pavidos pectore pelle metus.  
Vobis ecce novis annuncio gaudia votis  
Maxima, Christicolis certa futura viris.  
Namq; hodiè est vobis SALVATOR natus in urbe  
BETLÆA, cunis vilibus atq; jacet.  
SALVator vobis ævum manet iste per omne,  
Sanctus & æternus cunctipotensq; DEVS.  
Per quem libertas, pax, gratia, vitaq; parta est,  
Mors prostrata, hostis regia fracta nigri.  
Hujus nunc fratres & amici creduli habemur,  
Perq; fidem nati dicimur esse DEI.  
Hæc ubi de nato sunt salvatore, cohorti  
Pastorum angelica voce, relata nova.*

*CHRI.*

23

CHRISTUS & agrivagus patefactus tempore turbis  
Nocturno est, gremium matris & ante jacet.  
Descendit cæli cælestis vertice turma,  
Et CHRISTUM REGEM nunciat ecce novum,  
Lucida complentur varijs concentibus astra,  
Sicut ovans strato victor ab hoste venit.  
Gaudia calicoli gratantur summa piorum  
Et læti tandem voce sonosq; canunt, (ris  
GLORIA, LAUS & HONOR PATRI sit, & aurea ter-  
Pax, & mens hominũ noscere prompta DEUM.  
Gloria vera datur PATRI laus vera resurgit  
Debitus atq; illi redditur omnis honos,  
Cum tu CHRISTE DEUS credenti agnosceris orbe  
Quod sis ÆTERNI FILIUS ipse DEI.  
Quodq; DEI tollens agnus sis, crimina mundi,  
Qui bonus extremis rebus adesse soles.  
Gloria in excelsis patri quoq; redditur astris  
Cum sua submittat pectora quisq; DEO.  
Cum non aut ortus, aut magna exordia tollat,  
Iustitiæ aut jactet propria dona sua.  
Ritè sed in CHRISTI meritum speretq; salutem,  
Qui facit hæc, verè calitus ille sapit.  
Qui novit CHRISTUM, qui præstat commoda multis  
Hic vitâ felix, morte beatus erit.

In solo

In solo sperare DEO tutissima res est,  
Una salus verbo credere CHRISTE tuo.  
Namq̄, tibi proprium misereri, ignoscere lapsis,  
Vivere velle omnes, morte perire nihil.  
Psallite nunc Domino, pueri juvenesq̄, senesq̄,  
Et quotquot mundi machina tota tenet.  
Rumpite præ nimio lati, pia pectora plausu,  
Letitiam, toto corde fovete novam.  
Janua quod vitæ reserata sit, aula salutis  
Nunc ad aperta, ortu virgine Nate tuo.  
Quod simus stygijs erepti tristibus undis,  
Redditi & eterno, te duce, CHRISTE patri.  
CHRISTE Deus, dextra tu conserva omnia fortis  
Corde pios, verbi dogma tuere tui.  
Hostes Christiadum crudeles fimbis arce,  
Ne noceant regno, CHRISTE BE-  
NIGNE tuo.

F I N I S.








Frater  $\text{E}$  est noster, nobis junctissim  
Iunctior haud calis angelus ullu  
Par homini sibi nostra capit delicta  
Et fert inferni crimina digna la  
Amisam ut generi reparet reddatq  
Humano, id regno restituatq  
Ut ferat aeterna nascendo gaudia  
Gaudia qua nulla sunt peritura  
Gaudia qua longe superant ditissim  
Regum, qua vincunt totius orb  
Hunc cunis positum n. ortales discite  
Thesaurus caeli vertice mille rej  
Illius ad praesepe pias effundite grat  
Votaq<sub>3</sub> fertē pia multiplicata fu  
Cur non agnoscis missum tu pectore.  
BETHLEM, praeclum sep  
Cur SALVATOREM temnis Dor  
Qui te fit propter virgine natu  
Qui te perpetuo populum sibi foeder  
Esses ut regni portio grata jui.  
Hen te poena gravis merito sequer  
Te DEVS ad stygias praecipita  
Antiquo veluti SODOMA gens  
Tempore sulphureo perditā me

A 3



the scale towards document

23

um,

?

lutis

ne

torra

Scd